

 **Ka**
3896

6

Disputationes Quinq; habitæ

A

IOHANNNE ZAN-
GERO I. V. D. ET IN
ACADEMIA VVITEBER-
GENSI PANDECTARVM
Professore Publico,

I.

Ex L. 2. C. de rescind. vend.

II.

Ex L. Si quis in tantam 7. C. Vnde vi

III.

Ex materia c. mulieres. c. plerunq; 4. de donat. int. vir.
& vxor. & L. 2. L. si ab hostibus. 10. §. 1. l. quo-
ties. 29. l. post dotem 40. l. cum mulier.
47. D. sol. matrim. dos quem-
admodum pet.

IIII. & V.

De Vfuris.



VVITEBERGÆ,
Typis Zachariæ Lehmanni.
M. D. XCI.

Ka 3896



1965. H. 167

PRIMA DISPUTATIO

EX L. 2. C. DE RE-
SCIND. VEND. HABITA IN
INCLYTA BASILIENSIVM ACADEMIA

demia pro insignijs Doctrinæ in Vtroque Iure con-
sequendis III. Calend. Februar.

Anno CID. IO. LXXX.

T H E S I S I.

VRE receptum est: In pretio em-
ptionis & venditionis naturali-
ter licere contrahentibus se inui-
cem circumuenire. Et ideo quod
pluris est, minoris emere, vel è con-
tra, quod minoris est, pluris vendere conceditur.

I I.

Hinc fit, ut quamuis pretium aut minus aut
maius est, quam oportet, non tamen ob eam cau-
sam inuito alterutro venditio rescindatur.

I I I.

Sed constitutione Imp. Diocl. et Maxim.
ex humanitate placuit: ut, si venditor minoris
dimidia veri pretij rem distraxerit, venditio
non valeat.

I V.

Verum pretium est, non quod venditor ar-

A 2

bitrio

bitrio suo ex affectione & utilitate sua consti-
tuere potest, sed quanti tempore venditionis
res verè valet.

V.

Illud verò ex qualitate rei & quantitate
fructuum estimari solet.

VI.

Ceterum hac estimatio posita non est inte-
stimonio testium, sed erit boni iudicis earum
rerum peritos adhibere estimatores, qui rem
ipsam maturè inspiciant & iudicem infor-
ment.

VII.

Planè, si quis huic beneficio renunciauit, a-
pertè vel tacitè, venditio non rescinditur.

IX.

Dico tacitè: Nam, si in venditione vendi-
tor cauerit se contra eam venditionem nihil
facturum seu contra non venturum, hoc benefi-
cio amplius uti nequit.

IX.

In minore tamen aliter observatur. Si e-
nim auctoritate curatoris vendit & cauit, aut,
si curatorè non habens idem fecit, venditio qui-
dem ipso iure valet: sed ex beneficio communis
etatis

etatis in integrum restituitur, nisi ius iurandum
sit interpositum.

X.

Eodem modo remedium huius legis cessat,
si venditor in instrumento dixerit; se, si pluris
res valet; id quod amplius est donare aut re-
mittere.

XI.

Petit autem venditor rem venditam sibi
restitui actione ex vendito, ita ut emptoris ele-
ctio sit, vel rem quam accepit pretio oblato red-
dere, vel si malit, rem retinere, quod vero
pretio deest, supplere.

XII.

Quòd si res vendita & tradita extincta
sit casu, quem nulla culpa emptoris aut mora
precesserit, emptor liberatur, ut nec pretium iu-
stum supplere debeat. Sola enim rei restitutio in
obligatione versatur.

XIII.

Porrò quod venditori laeso in pretio tribu-
itur, idem etiamtribuendum est emptori, qui
pluris rem emit iusto pretio, dummodo sit ea-
dem causa emptionis, qua venditionis.

A 3

Eadem

XIV.

Eadem causa intelligitur, si emptor duplo plus dedit quàm accepit: & quod idem est, si duplo minus accepit quàm dedit.

XV.

Emptor verò sic fraudatus, consequitur pretium quod dedit, nec est in electione venditoris emptori supplere, quod deest, alias res dando.

XVI.

Pari ratione beneficium hoc, quod in emptore & venditore dicimus, etiam ad alios contractus transferendum est, ubi nimirum sunt cause similes, quando unus dat & alter vicissim accipit, si quis duplo plus dat, quàm accipiat.

XVII.

Eiusmodi autem sunt Locatio & Conductio, Permutatio, & si qui sunt similes.

XIX.

Postremò ad transactiones & donationes hoc beneficium non pertinere, statuimus.

SECUNDA

SECVNDA DISPVATIO

EX L. SI QVIS IN
TANTAM 7. C: VNDE VI,

VVITEBERGAE XXVIII. AVGVSTI

Anno CIO. IO. LXXXI. instituta, respondente

PETRO HEGIO jam Professore Juris pu-
blicum ibidem agente.

T H E S I S I.

INTER omnia remedia, qua recu-
peranda possessionis gratia ab Impp.
proposita sunt, hoc Impp. Valent.
Theod. & Arcad. locupletius esse constat,

II.

Quorum constitutione ii coërcentur, qui
possessionem rerum apud fiscum vel alios homi-
nes quoslibet constitutarum, ante adventum iu-
dicialis arbitrii violenter invadunt.

III.

Iuvantur hi, qui possessione sua, vel quasi,
deiecti proponuntur.

IIII.

Hos ergò, quos tantum in possessione esse
lex ait, veluti commodatarium, depositarium,
solonum, eum qui precario rogavit, ut morari,
non

non etiam possidere liceat, certum est, constitu-
tione non comprehendi.

V.

Adeo quidem, ut si vel adversus Domi-
num aut alium agere velint, hinc sibi paratum
remedium non inveniant.

VI.

Agitur itaq; adversus eos, qui per vim a-
lienam occuparunt possessionem. Hinc verò li-
quet, eos qui clam eam ingressi sunt, hac consti-
tutione non teneri.

VII.

Si tamen dominum aut veterem possesso-
rem revertentem non admittant, cum hoc qui-
dem modo clam possidere desinant, vi incipiāt:
rectè ad eos constitutio pertinere dicetur.

VIII.

Legatarius, qui post aditam ab herede ha-
reditatem & possessionem apprehensam, rem
legatam per vim occupat, haud dubiè etiam
hinc coërcendus erit.

IX.

De fideicommissario idem iudicium esto.

X.

Magistratus tamen, si iure officii, quo
fungun-

funguntur, possessionem à Reo auferant, aut privati iudicis auctoritate rem sibi adiudicatam occupent, dominusue à fure sibi ereptum statim recuperet, benè dicitur cessare constitutionem.

X I.

Non rectè etiam à filio parens conveniatur, aut à liberto patronus, quòd honesta & sancta semper horum persona videri illis debet.

X II.

Cæterum nihil interest, utrum possessio de qua recuperanda agitur rerum sit mobilium vel immobilium, corporalium vel incorporalium.

X III.

De annuis prestationibus etsi varii variè: placet tamen, quod L L. interpretibus constat non displicere. in realibus huic constitutioni locum tantum esse: In personalibus non item.

X III I.

Datur porrò ex hac L. condictio, ut si dominus sit, qui possessionem abstulit, eam restituat & dominium præterea rei amittat.

B

Si verò



XV.

Si verò dominus non sit, non solum possessionem reddere, verum & estimationem prestare compellatur.

XVI.

Quod autem aiunt Imppp. Dominum dominium rei ablata amittere, ita verum est, si & sententia iudicis accesserit: non etiam, ut sine ea ipso iure factum credatur.

XVII.

Præterea, quod dicitur, possessionem restitui debere, hanc habet sententiam, ut pristina omnia deiecto restituantur cum omni causa & utilitate.

XVIII.

Ne liberatur deiciens, etiamsi res ablata vel ante sententiam iudicis, vel intra tempora iudicati perierit.

XIX.

Aut etiam si eodem modo apud actorem, quo apud deicientem perire potuisset.

XX.

Denique observandum, per Ius Saxonicum hanc Imppp. Constitutionem non esse sublatam.

COROL.

COROLLARIUM.

Venditorem, qui rem habet ad eam tradendam cogendum non esse: Liberari verò praestando id quod interest.

TERTIA DISPUTATIO

EX MATERIA C. MULIERES C. PLERVNQVE 4.

DE DONAT. INTER VIR. ET VXOR.

l. 2. l. si ab hostibus 10. §. 1. l. quoties. 29. l. post dotem. 40.

l. cum mulier. 47. D. solut. mat. dos quemad. pet. peracta VVitebergæ

V. Septemb. Anno CID. ID. LXXXIX. respondente M. Mar-

tino Colero Cizensi, pro gradu Doctoratus in vtroq;
iure consequendo.

THESIS I.

S*oluto matrimonio maritum eiusque
heredes dotem reddere debere explo-
rati iuris est.*

II.

*Reddi autem seu solui debet mulieri, mo-
dò sui iuris sit, & ipsa dotem dederit, vel pro
ea pater, mater, vel quilibet alius simpliciter:
non etiam alij, quamvis mulier vice sua alium
ab initio creditorem constituere velit, cui maritus
matrimonio diremto soluat. Huic enim*

B 2

stipu.

stipulanti maritus promittere non cogitur: nisi
hoc ei nihil nocet.

III.

Quod si mulier in patris potestate est, &
dos à patre profecta sit, diuersum ius est. Cum
enim dos communis sit patri & filia, patri qui-
dem dos solui debet, sed non aliter, quàm vo-
luntate filia.

IV.

Hinc est quod maritus alij dotem stipu-
lanti, promittere non cogatur, sed uxori aut
patri, nisi uterq; iusserit, ut alij maritus do-
tem solueret.

V.

Si itaq; pater solus iussit, dotis actio fi-
lia non erit adempta, quando sui iuris facta
fuerit: quemadmodum e contra, si voluntate
solius filia promittatur, remanebit dotis actio
integra patri.

VI.

Porrò ex voluntate filia exercet pater a-
ctionē, si filia euidenter non contradicat. Quod
si contradicere non possit, ut quia furiosa est,
quasi ex voluntate filia videri experiri patrem
Iulianus scribit. Sed si absens sit filia, cautione
de

de rato praestita, rectè patrem agere posse Ulpianus respondit.

VII.

Planè si cum dotem daret pater vel extraneus pro muliere, eam sibi reddi soluto matrimonio hic pactus, ille stipulatus sit, mulieri eiusq; heredibus actio denegabitur.

VIII.

Sin autem in unum casum pepigerint vel in diuortium vel in mortem: in quem non pepigerunt, mulieri eiusue heredibus actio erit.

IX.

Sed hoc perpetuum non est. Mortua enim uxore liberis superstilibus dos, qua à patre profecta est, penes maritum remanet.

X.

Secus est quando extraneus dotem dedit, & sibi reddi pactus est: quia licet liberi supersint: propterea tamen non cessabit dotis repetitio.

XI.

Pari modo, si adulterium mulier commiserit & hoc probatum fuerit, dotis actione nec

B 2

ipsa

ipsa nec heredes eius aduersus maritum, eiusve
heredes agere poterunt.

XII.

Quod verum esse putamus, nisi viri lenoci-
nio adulterata sit mulier: aut nisi supersint li-
beri ex eodem matrimonio, quibus dotem &
aliam substantiam conseruare oportet: aut ni-
si pater vel extraneus in casum diuortij sibi do-
tem reddi pacti sint.

XIII.

Sed etsi pater sibi reddi stipulatus non
sit: si tamen mulier præter dotem in bonis ni-
hil habeat, ex dote tam profectitia quàm ad-
uentitia patri alijsq; ascendentibus legitima
debetur.

XIV.

Præterea legibus cautum reperitur, mu-
lierem adulteram ob criminis atrocitatem, et-
iam donationem propter nuptias seu dotaliti-
um perdere.

XV.

An idem sit in paraphernis, anceps &
difficilis controuersia est apud Doctores: & li-
ce: plerique præsertim C. C. mulierem hac a-
mittere sine distinctione concludant: nos tamen
Justini-

Justinianum sequimur, ut si liberos non habeat, tantum accipiat maritus ex his, quanta tertia pars dotis esse cognoscitur.

XVI.

Nec referre existimamus, civiliter an criminaliter agatur. Viroque enim casu dotem & ex paraphernis portionem constitutione Iustiani definitam, maritus retinere aut petere potest.

XVII.

Ceterum pactis dotalibus existentibus, quibus maritus pepigit lucrum certa portionis dotis vel bonorum paraphernalium in casum divortij, non etiam mortis: verius esse iudicamus, maritum plus quam de quo convenit, habere non debere.

XVIII.

Similiter si extat statutum aut maritus pactus est, ut mortua uxore in matrimonio dotem aut certam eius partem maritus lucretur, repetitioni locus non erit.

XIX.

Qua in re hoc observandum est, eiusmodi statutum & pactum ita interpretandum esse, ut salva sit liberis aut ascendentibus legitima.

Eodem



XX.

Eodem modo si vir uxorem suam occiderit, heredibus uxoris hoc casu danda erit actio ex sententia Proculi.

XXI.

Occidisse autem videtur, qui infirmam neglexit denegando alimenta, aut qui nullum aut imperitum adhibuit medicum.

XXII.

Sic si maritus mulierem expellat vel male tractet, priuandus est lucro dotis, nisi facta reconciliatione eam bene tractasset.

XXIII.

Quod si maritus uxorem in adulterio deprehensam occiderit & legem municipali hoc ei permittatur, lucro dotis carere non debet, ut recte Bartolus docuit.

XXIV.

Appositè querunt DD. An statutum loquens de lucro dotis, tantum in dote numerata, an & in dote promissa locum habeat: nos affirmatiuam opinionem probabiliorem existimamus.

XXV.

Etiameo casu, quo maritus contractis nuptijs

ptijs dotem à patre sponsa vel ab ipsa sponsa vel
alio quolibet, intra annum & diem dari sibi
pactus seu stipulatus est, illaque nupta intra
hoc tempus mortua sit.

XXVI.

Utrum eiusmodi statutum, sponsa mor-
tua, sibi locum vindicet, pariter contendunt
interpretes: nos negativam defendere conabi-
mur.

XXVII.

Querunt & hoc DD. An soluto matrimo-
nio nullo stante statuto aut pacto de lucranda
dote, beneficio Auth. præterea. C. unde vir &
ux. locus sit: nos negativam veriore
esse probabimus.



C QUARTA

QUARTA DISPUTATIO

DE DEFINITIONE, CAU-
SIS, ET LEGITIMO VSVRA-
RVM MODO, ITEMQVE DE POENIS
vsurariorum & qua actione ea debita peti possunt, habita
VVitebergæ XXVI. Augusti, Anno CIO. IO. LXXXVI.
respondente LIBERIO HOFMANNO de Fri-
drichroda nunc Professore in Academia
Ienensi.

T H E S I S . I.

VSuræ appellatio etsi latissimè patet: in
hoc tamen argumento nihil est aliud,
quàm ad sortem seu quantitatem legi-
timè definita accessio.

II.

Eaq; ipsa quemadmodum non in numis
tantum, sed reliquis etiam rebus, qua quanti-
tate, hoc est pondere, numero, mensura constant,
ac functionem in genere suo recipere dicuntur,
consistit: ita & ex eisdem præstat. In alias
autem res cadere nequit.

III.

Debetur verò, aut ex conventionem, tum
solenni, qua stipulatio, tum simplici, qua pa-
ctum alias cognominatur: aut ex mora:
idq; ob

idq̄, ob diuersam negotiorum, quibus accedit,
naturam.

IIII.

Ex stipulatione, in omnibus, tam stricti iuris, quam bona fidei iudicijs debentur: quibus ea propter hoc commune est, ut si interrogatione precedente, promissio usurarum recte facta probetur, licet instrumento conscripta non sit, tamen optimo iure debeantur.

V.

Sed quomodo probabitur? Interpretes in nobili isto Imp. Antonini Pij rescripto, varie rem apertam inuoluunt. Nos breuiter ita statuimus, ut si in instrumento debitor usuras promississe adseratur, stetur instrumento. Hoc enim ipso cetera omnia solenniter acta videntur.

VI.

Verum hic optima illa & frequenter in iudicijs versata occurrit questio: utrum precise hoc casu omnia solenniter acta presumantur, an verò contrarium probandi potestas reo concedenda? Extant constitutiones & responsa, quibus id infringendum videbatur. Sed rectus

est, ut reus aliter rem gestam esse demonstrare
paratus, audiatur.

VII.

At nunquid de testibus idem? Hugo &
Petr. aiunt, eorumq³ opinionem ad iuris veri-
tatem propius accedere Cynus affirmare non
dubitat. Ioannes, Azo & alij ipsos secuti, ne-
gant. Nos cum Mart. tocum rem ex testis
conditione metiendam arbitramur, ut siqui-
dem is sit peritus iuris, et consuetudinis loquen-
di non ignarus, idem quod de instrumento sta-
tuatur: Sin minus, contra. Eandemq³ distin-
ctionem etiam in stipulatione recipiendam esse
contra Mart. & Br. existimamus.

VIII.

Ex pacto & mora debetur usura in bona
tantum fidei contractibus; Vnde conficitur in
strictis, citra vinculum stipulationis eam exigi
non posse.

IX.

Quod sic intelligendum est, ut quamvis
pactum in traditione rei de usuris praestantis
interpositum sit: tamen ille nihilo magis peti-
queant.

Hocia-

Hoc tamen ius non est perpetuum. Nam interdum etiam ex pecunia credita & ex alijs quibusdam negotijs strictis est usurarum petitio singulari iure sine ulla stipulatione, alias ex persona creditoris, ut in fisco, ciuitatibus & argentarijs, alias ex causa, propter quam usura petitur, veluti in pecunia nautica, tum in oleo, frumento, hordeo & similibus fructibus mutuò datis, ad hac in causa iudicati, deniq; in legatis & fidei commissis.

XI.

Sed nec aliàs pactum in strictis negotijs prorsus est inutile. Primum enim usura pacto promissa per pignoris retentionem seruari possunt. Deinde eadem ex hac pacti conventionione soluta, neq; ut indebita repetuntur, neq; in sortem acceptò ferenda sunt.

XII.

Quod ita intelligitur, cum pecunia nominatim usurarum nomine soluta est. Quod si debitor simpliciter pecuniam soluit creditori, ita ut non exprimeret, quam in causam solutam vellet, pecunia hac non potest imputari in usuras

indebitas, seu pacto promissas, ideoq; in sortem
solum succedet.

XIII.

Corollarij loco, duo in hoc capite quæri so-
lent. Vnum, An saltem post litis contestatio-
nem in contractibus stricti Iuris usura ex mo-
ra debeantur? Alterum, an superioribus cau-
sis rectè connumerari possit longi temporis præ-
statio? Quorum neutrum iuris civilis doctri-
na defendi posse contestamur.

XIII.

Sed et si ex pacto nudo certis annis soluta
fuerint usura, tamen nihilomags obligationē
constituunt: Sicut & aliàs, si certis annis, quod
nudo pacto conuenerat, quis soluit, ad indebi-
tum solutum deinceps præstandum, non obliga-
ri eum, à Dioclet. & Maxim. Impp. rescri-
ptum legimus.

XV.

Proximum est, ut de quantitate usurarū
legitima videamus. Olim ergò, siquidem inter
partes ea de re ab initio contractus conuenerat,
lex contractus seruanda erat, idq; usq; ad cen-
tesimam, quam legitimam usurarum fuisse
modum



modum ex plurimis iuris nostri capitibus haud
obscurè demonstrari potest: Quod si nihil no-
minatim conuenisset, tum in bona fidei contra-
ctibus, arbitrio iudicis, ex more regionis, ubi
contractum fuerat, definiri modus consuevit,
ita tamen ne lex offenderetur.

XVI.

Ceterum Iustin. Imp. uniuersam hanc ra-
tionem peculiari constitutione tribus quasi gra-
dibus distinxit. Primum, quid liceat de usuris
supra centesimam: tum quid de centesima ipsa:
postremum quid infra centesimam.

XVII.

Quo ad primam speciem, de ea sic constituit,
ut supra centesimam neq; stipulari, neq; exigere
quibusuis in causis permittendum putarit.

XVIII.

De centesima ipsa ita placuit, ne hanc qui-
dem stipulari licere ullis personis, praeterquam
in duabus causis, nempe in pecunijs traiectitijs
ac fructibus scenori dandis. Et quanquam prio-
ri in genere, ab hac definitione, Cuiacio auctiore,
postea recessisse videatur, tandem tamen No-
uell. 110. eandem confirmasse indubium est.

Plane

Plane ex alia ratione citra conventionem, etiã in pecunina, cum ex causa rei iudicata debita, tum à tutoribus vel curatoribus aut ijs, qui aliena negotia gerunt in proprios usus conuersa, exigi illam posse, ex diuersorum principum & Tryphonini I. C. auctoritate, minimè inficiamur: nec Iustinianum generali sua constitutione in hisce casibus quicquam immutasse, profiteri non dubitamus.

XX.

Tertium gradum pro personarum qualitate ac differentia metiendum esse sancit, hoc modo, ut illustribus, eosq; dignitate precedentibus, usuras duntaxat trientes: argentarijs et mercatoribus beses: ceteris omnibus semisses dependi voluerit.

XXI.

Constitutione prouinciali permittitur, in singulos annos tantummodò quincunces usuras nomine centum numerum mutuo datorum stipulari: quales & à tempore mora in causis, in quibus ex mora petuntur, vigore dictæ constitutionis adiudicari solent creditoribus dummodo
ijs con-

*ijs contenti esse velint & non pluris sua inter-
esse putent, idq; probari possint.*

X X I I.

*De agricolis tamen nouum & speciale ius
postea constituit Iustin. ut si quis vel fructus
aridos, vel pecuniam mutuo illis dederit, usu-
rarum loco in singulos annos, pro modio octa-
uam partem modij, pro solido, siliquam unam
eo nomine exigere possit.*

X X I I I.

*Quod utrum ad ceteros quoq; rusticos, vel
alios etiam homines, quam agricolas extenden-
dum sit necne? controuertitur. Nos reiecta opi-
nionem Al. Azonis, Hugolini & Ioannis, inter
quos primus ille omnibus alijs hominibus, po-
steriores omnib; saltem rusticis idem attribue-
runt, cum Petro, Cyn, & Hug. Donell. non esse
ultra agricolas porrigendum assueueramus.*

X X I V.

*Illud dubio caret, neq; antiquo, neq; nouo
iure, usuras usurarum stipulari licere: Sicut
nec dolosis sceneratorum machinationibus, qua
propemodum in infinitum excurrunt, in frau-*

D

grum

grum est. Quod utrumq; & Imperij Roma-
ni & provincialibus constitutionibus infirma-
tum extat.

XXV.

Quinetiam in eos, qui supra definitos limi-
tes quid exigunt, Justin. adijcit pœnam, à iu-
ris tamen nostri auctoribus ante ipsum prius
expressam, cuius vis hæc est, ut quicquid con-
trà factum erit, pro infecto habeatur, hoc est, ut
quod ultra præscriptum modum stipulati sunt
stipulationi detrahatur, & quod solutum est,
in sortem computetur.

XXVI.

Vnde vulgata ista, sua lucè patet questio. V-
trum scilicet pactum usurarium contractui li-
cito adiectum, totum contractum vitiet, an verò
contractu subsistente, pactum solummodo vitie-
tur? quod postremum cum de eo tot & Iuris-
prudentium & Impp: in promptu sint docu-
menta, quin affirmandum sit non dubitamus.

XXVII.

De agricolis hîc quoq; denuò singulare jus
per placuit, ut creditores Cancellos præscriptos
egressi, ab actione omnimodò cadant,

Ad hæc

XXVIII.

Ad hec improbum scenus exercentibus, et
usuras usurarum illicitè exigentibus, infamia
maculam irrogandam esse Dioclet. & Max.
Impp. A. A. constituerunt.

XXIX.

Ceterum, an detestandis usurarum lucris
inhiantes, eò amplius etiam extra ordinem ar-
bitrio iudicis puniri possint? non satis expedi-
tum est. A I M: C R A V E T. cum Bald. et Rol. à
Vall. improbat. J A C O B B Y T R I C. laudat, cuius
sententia Corn. Didac. Couarr. Iul. Cla. Iaco.
Menoch. & Car. Molin. inter alios suum non
immeritò adijciunt calculum: quam provin-
ciali etiam constitutione augeri liquet.

XXX.

Præterea placet constitutione Carol. V.
& provinciali creditorem illicito scenori inha-
rentem, quarta sortis parte multari, eandemq;
illius magistratui attribui.

XXXI.

Nunc quam actione petantur usura le-
gitima, subjiciendum. Et res ita se habet, ut to-

D 2

ta ex

ta excausis earum dependeat. Si enim debentur ex stipulatione, competit certi condictio: si ex pacto in continenti bona fidei contractibus adiecto, aut mora, actio bona fidei per quam pecunia, qua debetur peti solet: Si verò ex pacto in strictis contractibus appposito in casibus, in quibus id iure speciali licet, ex pacto erit actio.

X X X I I.

An autem fors cum usuris in uno et eodem libello exigi possit, non convenit inter antecessores nostros. Bar negat. Nos affirmatiuam sententiam Pauli de Cast. probabiliorem esse existimamus, quae & usu observatur, dummodò usura accessoriè, vel sub conditione si apparuerit id quod venit in actionem principalem actorem iure exigere, petantur.



ATNIV

QVINTA DISPVTATIO
DE MODIS QVIBVS
VSVRÆ DEBERI DESINANT

VVitebergæ XV. Octob. Anno CIO. IO. XCI. instituta
respondente GREGORIO STVRIO
Brunsvicensi.

T H E S I S I.

PRIMO (*ut à generalioribus fi-
at exordium*) tollitur *vsurarum*
*obligatio, sublata principali obli-
gatione.*

I I.

*Principalis autem obligatio corrui-
t varijs modis: ut sententia: qua si finitum sit bo-
nae fidei iudicium, quamvis minoris condemna-
tio facta sit, non adiectis vsuris, nec provoca-
tio secuta: finita tamen retractanda non
sunt.*

I I I.

*Itemq; præscriptione: qua si tutus est
debitor, in actione vel sorte principali, etiam
in vsuris eadem se tueri poterit.*

I V.

*Sed & novatione, delegatione, acceptila-
tione,*

D 3

uone,

tione, & ceteris speciebus, quibus extinguere ob-
ligationes consueverunt, debitores à præstatio-
ne usurarum liberantur.

V.

In primis verò usura deberi desinunt,
solutione, et, quæ paria cum ea facit, oblatione,
cum obsignatione, ac depositione solenni con-
iuncta.

V I.

Oblationis quatuor præcipuè sunt leges.
Primum enim requiritur, ut totum debitum,
vel, ut cum Imp. apertiùs loquamur, fors cum
usuris debitis offeratur. Sicut enim partis
solutio debitori non prodest ad liberationem,
creditore eam accipere recusante: sic nec eius-
dem oblatio.

V II.

Nisi vel convenerit, ut particulatim
solvere liceret: vel servus libertatis causa pe-
cuniam dare iussus sit: vel quis ita stipula-
tus sit, sibi Ephesi & Capua dari: vel pensio
annua sit, quæ à possessoribus fundorum patri-
monialium præstanda est: vel quod petitur, pro
parte liquidum & illiquidum sit.

Deinde

VIII.

Deinde necessarium est, ut debitum offeratur realiter: Tertiò ut oportuno loco & tempore fiat oblatio: Deniq; exigitur contestatio, h. e. ut testibus adhibitis perficiatur.

IX.

Consignationis jus simplicius est, ut scilicet ea fiat sacculo obsignato signatorum signis, quemadmodum Scævola Iurisconsultus hac de causa loquitur.

X.

Depositio quoq; peragi debet solenniter in loco publico, hoc est, vel in aedibus sacratissimis, vel ubi competens iudex ea de re aditus pecuniam deponi iusserit.

XI.

Moribus nostris hac solennitas depositionis non ita superstitiosè observatur, sed depositio apud quemcumq; iudicem, vel privatum etiam hominem, fieri consuevit.

XII.

Tutiùs tamen est, iudicis permissionem, & mandatum accedere, ne fortè illegitimam,
 & mi-

Et minus tuto factam depositionem sibi debitor imputare postea cogatur.

XIII.

Hac solennitate observata, liberatur debitor ipso jure, ut veteri actione de sorte, Et de usuris creditori minimè teneatur: nisi ipse depositam pecuniam receperit.

XIV.

Quin etiam à periculo casus fortuiti immunis efficitur, ita, ut si nummi pereant postea creditoris sit naufragium.

XV.

Denique pignorum quoque ius exinde perimi, ac fideiussorum obligationem interire, non ambigitur.

XVI.

*Quemadmodum verò creditor jus suum amittit adversus debitorem, eiusque fideiussores, uti dictum est: Sic idem è contrario ad eius pecunie exactionem acquirit utilem actionem, vel depositi, adversus depositarium
vel in*

*vel in rem, ad pecunias depositas petendas,
contra omnes earum possessores.*

XVII.

*Porrò sola pecuniæ debite oblatio, aut
obsignata depositio neq̄ liberationem sor-
tis afferunt, neq̄ ad usurarum cursum im-
pediendum, ex communi D D. calculo, licet
contrarium quibusdam arrideat, quicquam
proficiunt, neq̄ etiam pignorum jus, aut obli-
gationem fideiussoriam tollunt.*

XVIII.

*Si tamen creditoris factò contingat, quò
minus debitor pecuniam oblatam obsignare ac
deponere possit, ab usuris liberabitur. Quod
ipsum iure singulari etiam receptum est, tum
in seruo, hac lege, si decem heredi dederit,
manumisso: tum in vectigalibus, tributis &
alijs publicis pensionibus, quarum sola oblatio
debitorem ab obligatione eximit.*

XIX.

*Pari modò, usuris maioribus sub condi-
tione, si minores ad diem solutæ non fuerint sti-
pulatis, debitor ante diem præstitutum usuras*

E mino-

minores offerens, ad praestationem maiorum usurarum non tenetur.

XX.

Sic si debitor ignorare possit, quid est quantum debeat, quod contingit in actionibus generalibus, etiam solam oblationem verba-lem à praestatione usurarum debitorem libera-re existimamus.

XXI.

Nuda praeterea oblatio eò prodest, ut creditor, qui sine causa oblatum recusavit, committat moram: quae hoc efficit, ut si debitor postea, sine dolo, aut culpa sua pecuniam oblatam amiserit, liberetur, aliàs per exceptio-nem doli mali, idq; in strictis, ex Iuliani, et aliorum juris nostri auctorum sententia, quae tandem contra Sabinianos obtinuit; aliàs ip-so iure, ut in bona fidei negocijs.

XXII.

Deniq; placuit, ut si ei, cui debitor obli-gatus est, tutò solvi nequeat: aut incertum sit, cui debeat, absq; oblatione rectè pecunia con-signata deponatur.

SECUN-

XXIII.

SECUNDUS usurarum finis consistit in earundem remissione, non tantum aperta, sed & tacita. Aperta, quo fiat modo, conspicuū est: Tacita, hac ratione constituitur, si maioribus usuris ab initio promissis, minores postea soluta probentur.

XXIV.

Quodnam verò temporis intervallum hoc casu requiratur, vehementer variant Dd. Nos cum Salyceto, contra Azonem, Cyn. Bald. & alios, ex Impp. ac Ictorum responsis longi temporis intervallum, hoc est, decennium necessum esse putamus: quo elapso, si maiores petantur ex cautione obstat petentibus utilis exceptio pacti.

XXV.

Etiam defensoribus civitatum, (non tamē fisco,) si civitas privato creditori, cui usurae maiores debebantur, & qui minores pro maioribus acceperit, successit. Nam si defensores civitatis propriam eius pecuniam fœnori dederint, & caverint sibi usuras maiores, non idem iuris esse statuimus.

E 2

Nec

XXVI.

*Nec Accursij distinctionem, à Bart. Et
Dd. communiter approbatam, tacito scilicet
pacto usuras maiores remitti posse à defenso-
ribus civitatum, in præjudicium civitatis,
expresso non item, iuris veritati consentaneam
esse cum Paulo de Castro defendemus.*

XXVII.

*POSTREMÒ deberi desinunt usura, si
sortem ex aqua verint. Nam ultra duplum
cursus usurarum non permittitur: quod non
tantum in usuris stipulatione promissis, sed Et
in bona fidei judicijs, ceterisque omnibus casibus,
in quibus usura exiguntur, Imp. Justinianus
rescripsit: adeò, ut ne quidem per retentionem
pignoris servari queant.*

F I N I S.



IVDICI-

IVDICIVM MARTINI
LVTHERI SVPER CONSTI-

TVTIONE IVSTINIANI IN L. EOS C.

de vsur. quod extat in Tom. 7. VViteberg. eius
operum, Anno 58. editorum

pag. 427.

SI huc facere aliquid potest, quod
Caesar Iustinianus vsuram sic
moderatur, & mitigat, ut Illu-
stres de centum accipiant quatu-
or, negociatores octo, reliqui sex, qua constitu-
tione, (ut ipse testatur:) vetera ista ac dura
difficiliaq; onera, intolerabilesq; vsuras mode-
rari voluit, si hac, inquam, ipsius constitutio
aut lex, ad hanc *Intiniam* aliquid facere potest,
libenter addam meum calculum, & coram Deo
una feram, maximè si egenae & deserta sunt
personae, siq; necessitatis, & misericordiae vsura
est, hoc est, si necessitate expressa, atq; à miseri-
cordia profecta est.

Verùm si esset non necessitatis, sed avari-
cia vsura, siq; alias essent, unde alere se possent,
si nihil aliud quàm lucrum quaereretur, non ur-
gente necessitate, ibi nullo modo vellem calcu-
lum addere, & mea sententia id approbare.

E 3

(C Mutu.

(Mutuum enim non potest esse negociatio,
mercimonium, lucrum aut compendium.) mul-
tò minus vellem id consulere, sed ad Casarem
id remitterem, ut is de talibus respondeat. Nec
puto Casaris eam esse sententiam. Nec potest
Casar docere bona opera, quæ ad regnum celo-
rum pertinent. Satis est ipsi, si docet bona opera,
ad hanc temporariam vitam pertinentia, ut
et verba ipsius testantur. Sic enim inquit Iu-
stinianus: veterem duram et gravissimam
usurarum molem, ad mediocritatem dedu-
centes etc.

Non satis est itaque ad regnum cælorum,
obedire legibus Casareis. Et est tamen accep-
tandum, quod largitur Casar ex gratia, et
clementia, maxime in casibus huius generis,
ubi ea est necessitas atque etiam in temporalibus
bonis, quæ ipsius regimini, et administrationi
sunt subiecta. Nec sunt nunc ea tempora ut
magna divitiæ possint comparari, si quinque aut
sex tantum de centum accipiantur, maxime si
egentes ista persona ijs redditibus non alios redi-
tus emunt, sed si ijs utuntur ad necessitatem, ad
panem

panem suum quotidianum, aut vita sustentationem necessariam.

Verum in his casibus possunt locupletiora & firmitiora bonorum & intelligentium consilia privata quemq; docere & instruere. Nam parochi tam subtiles, curiosas, spinosas, & intricatas disputationes pro concione non agitare, sed ad jurisconsultos, aut ad bonos viros rejicere, ac remittere debent. Sat sit itaq; hic pauca ad instructionem, commonefaciendi causa dixisse.

F I N I S.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is difficult to decipher due to its lightness and the texture of the paper.


21 1/2



Ka 3896

(x 221 7184)





B.I.G.

Farbkarte #13

Disputationes Quinq; habitæ

A

IOHANNES ZAN-
GERO I. V. D. ET IN
ACADEMIA VVITEBER-
GENSI PANDECTARVM
Professore Publico,

I.

Ex L. 2. C. de rescind. vend.

II.

Ex L. Si quis in tantam 7. C. Vnde vi

III.

Ex materia c. mulieres. c. plerunq; 4. de donat. int. vir.
& vxor. & L. 2. L. si ab hostibus. 10. §. 1. l. quo-
ties. 29. l. post dotem 40. l. cum mulier.
47. D. sol. matrim. dos quem-
admodum pet.

IIII. & V.

De Vfuris.



VVITEBERGÆ,
Typis Zachariæ Lehmanni.
M. D. XCI.

15 954

